



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE CUM SANCTISSIMAE TEMPLUM IN URBE CULMENSIS
SITUM ATQUE SS. TRINITARI

DICATUM AD DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Cum Sanctissimae Trinitatis mysterium, una cum mysterio incarnationis, passionis et resurrectionis Iesu Christi, maximum sit catholicae religionis caput in eoque insit ceterum fidei depositum, et idcirco summam vim habest ad rectam credendi atque agendi rationem, non parum interest illud, quantum fieri potest, in lucem poni illiusque cultum propagare, ut inde et mens quaedam saltem intimae Dei vitae percipiat et cor exardescat ad ipsum redemptionis, sanctificationis et aeternae salutis fontem diligendum. Qua re, quoniam Venerabilis Frater Marianus Przykucki, Episcopus Culmensis, cleri et populi animos aperiens, ab hac Apostolica Sede petiit ut templum paroeciale eidem Sanctissimae Trinitati in urbe Culmensi dicatum, titulo ac dignitate Basilicae Minoris ornaretur, Nos, eius templi considerantes momentum tum historicum, tum pastorale, utpote quod fidelium frequentatione praestet sitque quodammodo Polonorum pietatis index, libenter expostulationem admittimus, nihil dubitantes quin catholici in suae religionis cardine per hanc concessionem firmentur. Quapropter, adprobantes quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino hac de re decrevit, datis a Nobis olim facultatibus, templum quod supra diximus, id est Sanctissimae Trinitatis, in urbe Culmensi situm, titulo Basilicae Minoris insignimus, omnibus cum iuribus et liturgicis privilegiis rite competentibus, dummodo servantur quae Decretum «De titulo Basilicae Minoris» postulat, die VI mensis Iunii anno MCMLXVIII editum. Contrariis non obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVI mensis Februarii, anno MCMLXXXII, Pontificatus Nostri quarto.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1982 - Libreria Editrice Vaticana
